



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Catalogus Patrum Societatis Jesu**

**Couplet, Philippe**

**1686**

LXV. P. Joannes Forget

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)

LXII. P. JOANNES BAPTISTA BRANDO Neapolitanus eodem anno venit in urbem *Kium cheu* Prov. *Quam tum*, unde post diu navatam operam rediit *Macaum*, ibique obiit senio confectus 1682.

XLIII. P. JACOBUS LE FAVRE Gallus *Xun chi* Imp. anno 14. (1657.) venit prædicatum fidem in Prov. *Kiam si* urbe Proregia *Can cheu*, ubi Proregis *Tum* favore ædes & Ecclesiam primus fundavit; tum alteram in urbe *Kiengan* aliisque locis. Dein perrexit in civitatem *Xam hay* Prov. *Nan kim*. Inde primus è Societate excurrit in orientalem insulam *Zum mim*, ubi operâ & favore *Cum* Generalis armorum, ut vocant, ædes & Ecclesiam fundavit, matrem septem, quæ consecutæ sunt, Ecclesiarum. Deinde Imp. *Cam hi* anno 14. (1675.) obiit æt. 66. sepultus extra Australem portam urbis *Xan hai*.

LXIV. P. ADRIANUS GRELLON Gallus eodem anno 1657. prædicavit fidem in insula *Haynan*. Deinde in Prov. *Kiam si* Metropoli *Nan cham*, & in urbibus *Can cheu*, *Kien gan*, *Tin cheu*, *Nam hium*. Composuit *Vitas SS. Patriarcharum veteris Testamenti*.

LXV. P. JOANNES FORGET Gallus eodem anno 1657. venit prædicatum fidem in urbem *Kium cheu* Provinciæ *Quam tum*. Eiusdem Imperatoris



Imperatoris anno 18. (1661.) diem obiit & sepultus est extra urbem.

LXVI. P. HUMBERTUS AUGERI Gallus eodem anno 1657. prædicavit fidem in Prov. *Che Kiam. Cam hi* Imp. anno 12. (1673.) obiit in Metropoli *Ham cheu* & sepultus est in loco *Fam cin* dicto.

LXVII. P. NICOLAUS MOTEL Gallus eodem anno venit una cum duobus fratribus in *Kiam si* ubi tertio post mense obiit. Sepultus est extra portam orientalem Metropolis *Nan cham*: dein *Cam hi* Imp. anno 17. (1678.) translatum inde feretrum conditumque extra Metropolim *Vu cham* Prov. *Hu quam*.

LXVIII. P. CLAUDIUS MOTEL Gallus eodem anno 1657. venit in Prov. *Xen si* urbem *Ham chum*. Item in Prov. *Su chuen* duabus urbibus *Pao nim* & *Chum kim* fundavit operâ Doctoris Basilii duas Ecclesias anno 1662. *Cam hi* verò Imperatoris anno 10. (1671.) ex Prov. *Quam tum* ab exilio cum reliquis redux in Ecclesias, cum pervenisset in Prov. *Kiam si*, diem obiit in urbe *Can cheu*. Corpus delatum ad sepulturam quæ est extra portam orientalem Metropolis *Nan cham*: dein *Cam hi*, Imp. anno 17. (1678.) translatum feretrum conditumque extra Metropolim *Vu cham* Prov. *Hu quam*.